

vel potius ut concausa necessaria. Non est ergo similis ratio, nam nos non antecedimus, et ideo non trahimus illum, Deus autem antecedit vocando nos, et ideo nos trahit.

11. *Difficultas. — Solvitur.* — Dices : ergo per auxilium simultaneum non dicitur Deus nos trahere. Respondetur, etiamsi hoc detur, nullum esse inconveniens, supposita significatione dicta verbi trahendi. Ad majorem vero claritatem et doctrinæ complementum, distinguatur potest. Nam si trahere solum significet allicere et præmovere, verum est id non facere Deum per auxilium simultaneum ; si autem significat idem quod convertere, sic etiam per auxilium simultaneum Deus hominem trahit ; nam sicut homo venit efficiendo ex parte sua consensum, ita Deus trahit illum, eundem consensum faciendo. Et in hoc sensu Deus nos trahit, non tantum moraliter, sed etiam physice, et ad hanc tractionem non est necessaria antecessio influxus Dei ; imo hæc repugnat, sed sufficit antecessio voluntatis, qua ex se nobis talem concursum præparavit.

12. *Instantia. — Occurritur.* — Sed instabis rursus, quia saltem poterit homo per suum consensum trahere Deum ad gratiam sibi præstandam, quod videtur inconveniens. Respondetur : ad illum actum liberum efficiendum, ad quem Deus proxime nos vocando trahit, non possumus nos illum trahere, ut dictum est ; tamen per unum actum supernaturalem, ad quem jam tracti sumus, bene possumus Deum ad aliud beneficium nobis præstandum trahere : nam certe per orationem trahimus, ut convertatur ad nos, infundendo justitiam, in virtute illius promissionis : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*, Zach. 4 ; et illius : *Si quis diligit me*, etc. Et qui sancte vivit, trahit Deum, ut se magis amet ; unde est illud : *Vulnerasti cor meum*, et illud : *Averte oculos tuos a me, ipsi enim me avolare fecerunt*. Imo Augustinus de ipsa tractione Dei dixit, tract. 26 in Joan. : *Si non traheris, ora ut traharis*, quod debet necessario intelligi respectu diversorum ; nemo enim potest convenienter orare, nisi trahatur saltem ad orandum ; fieri tamen potest ut aliquis, vocatus ad poenitentiam, nondum ita vocetur, ut illam perfecte agere valeat ; vocatur autem ita ut saltem orare possit, et tunc homo tractus ad orationem potest trahere Deum, ut se trahat ad conversionem. Et ita etiam sponsa, jam tracta ad gratiam, utique per priorem gratiam, adhuc petebat : *Traheme post te*, vel ad consortium gloriæ, vel ad majorem fructum gratiæ. Ratio est, quia per

priorem gratiam et actum ejus possumus mereri vel impetrare auxilium ad posteriore actum perfectionem. Illud autem trahere non dicit aliquam imperfectionem, quia nihil est aliud quam impetrare, aut mereri, vel placere Deo, et ita illum movere sine ulla mutatione in ipso, et omni alia seclusa imperfectione.

13. *Verbum faciendi vel agendi in Scriptura significat moralem causalitatem.* — Ad ultimam ponderationem verbi *faciendi* vel *agendi*, imprimis dico verbum faciendi in Scriptura frequentissime significare moralem causalitatem, quæ per moralia consilia, vel alias similes excitationes aut motiones fit. Est optimus locus Jacob. ultim. : *Fratres mei, si quis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem a via sua mala, salvabit animam ejus a morte*. Homo autem non facit convertere peccatorem prædeterminando, sed docendo et movendo exterius, qui est influxus valde remotus et per accidens, propter quod dixit Paulus : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat*, et nihilominus Jacobus illum explicat per verbum *faciendi* ut *convertatur*. Item Christus, Matth. 5, de illo qui indebitam uxorem dimittit, dixit : *Facit eam moechari*, quia illi occasionem præbet. Et cap. 9 dixit mulieri quæ fluxum sanguinis patiebatur : *Fides tua te salvam fecit*, quod certe non fecerat physice. Et similiter Luc. 16 dixit : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*, utique benefaciendo ; et de Pharisæis dicit Matth. 23 : *Circuite mare et aridam, ut faciatis unum proselytum, et cum fuerit factus, facitis illum filium gehennæ duplo quam vos* ; utrumque autem fiebat moraliter ab eis, primum dicendo et monendo, secundum pravo exemplo. Quomodo etiam dicitur 2 Regum 12 : *Quia blasphemare fecisti nomen Domini*. Et eandem vim habet illud 3 Reg. 12 : *Avorterunt mulieres cor ejus* ; et illud ibidem : *Certissime avertent corda vestra* ; et 4 Reg. 14 : *Peccare fecit Israel*. Denique dæmon, propter inductionem moralem, dicitur *operari in filiis dissidentia* ; Ephes. 2 ; idem autem est operari quod facere.

14. Non est ergo novum nec alienum a communi et proprio sermone humano, nec ab usitata Scripturæ phrasi, quod, cum eadem Scriptura dicit, Deum facere ut velimus, vel ut ad ipsum convertamur, vel ut præcepta ejus servemus, interpretemur id facere per sanctam cogitationem, illuminationem, et inspirationem, seu (quod perinde est) per congruam vocationem. Imo etiam potest id col-

ligi ex modo loquendi Dei per Jeremiam, cap. 32 : *Dabo eis cor unum, et viam unam, ut timeant me universis diebus* ; et infra : *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me*. Per timorem ergo datur homini ut non recedat a Deo, quod non physice, sed moraliter per timorem fit. Et ad hunc modum similes locutiones exponit Augustinus, præsertim libr. de Prædestinat. Sanctor., cap. 8, 15, 16 et 19, et Epistol. 107 ad Vitalem : *Vocatio* (inquit) *illa alta atque secreta sic movet sensum, ut accommodet assensum*, et aliis quæ postea in proprio capite ponderabimus.

15. Deinde addo, licet causalitas moralis, respectu physici effectus seu entitatis, minus propria, et quasi metaphorica sit, nihilominus respectu moralium operationum, ut tales sunt, esse propriam, ut docuit Cano, lib. 2 de Locis, a cap. 4 usque ad 8 ; et optime Soto, lib. 1 de Natur. et grat., cap. 18, in fine, dicens : *In moralibus ille prorsus est vere, judicaturque causa qui lege, ope, consilio, favore, vel persuasione movet quemque, sive ad bonum, sive ad malum*. Et similem sententiam habet Vega, lib. 2 in Trident., cap. 15, circa finem. Et ratio est, quia unusquisque effectus proprie attribuitur causæ sui ordinis. Unde si Deus consiliis vel inspirationibus nos instigaret ad malum, vere diceretur facere nos peccare ; et e converso, cum Concilium Tridentinum, sess. 6, can. 6, definit : *Deum non operari in nobis peccatum proprie et per se*, certe etiam definit non causare illud moraliter, nec excitare ad illud ; ergo, e contrario, cum definit Deum operari bona, non tam physice quam moraliter id intelligit. Nam revera in tali modo et respectu talium effectuum vix potest moralis causalitas, ut ad genus causæ efficientis pertinet, alio verbo proprius explicari quam verbo *faciendi*. Nec postulandum est ut semper addatur determinatio seu limitatio *faciendi moraliter*, aut *moraliter modo*, quia id neque communi neque usitato sermone accommodatum est, neque est necessarium ; quia sermo accommodatur rebus et materiæ a qua sufficienter determinatur. Unde cum de morali actu agitur, eo ipso quod dicitur una causa facere ut alia faciat, intelligitur non facere necessitando, seu, quod idem est, prædeterminando, sed inducendo. Unde D. Thomas, quæst. 6 de Malo., artic. unic., ad 15, generaliter ait : *Causa illa quæ facit voluntatem aliquid velle, non oportet quod ea necessitate id faciat, ex necessitate, scilicet, etiam supposita motione, et in sensu composito ; subdit enim : Quia potest per ipsam vo-*

luntatem impedimentum præstari, vel removendo talem considerationem, vel considerando oppositum. Ubi etiam supponit D. Thomas talem motionem esse moralem, et ita facere voluntatem velle, ut possit per eandem voluntatem impediri.

16. Denique assero per hanc moralem causalitatem divinæ gratiæ non excludi physicam Dei efficientiam ; imo, non unam tantum, sed multiplicem ibi intervenire. Nam primo Deus, cum excitat et vocat interius hominem physice, in intellectu ejus et voluntate operatur actus illos quibus formaliter hæc potentiæ excitantur. Deinde, quando liber consensus voluntatis fit, Deus immediate, physice, ac per se illum efficit influendo, saltem ut causa prima ordinis gratiæ. Et præterea per dona gratiæ data per modum actus primi, sive sint ipsi actus gratiæ excitantis, sive aliquid aliud creatum, sive ipsemet Spiritus Sanctus ut peculiaris adjutor, physice influit cum voluntate in eundem actum ; ergo omnibus modis necessariis et convenientibus Deus facit nos facere, et dando vires efficacissimas voluntati, et physice cum illa et in illa operando. Ergo propter physicam efficientiam non est necessarium aliud genus auxilii prædeterminantis.

17. Quod tandem ita declaro, nam in illo auxilio quod alii auctores excogitarunt, duo distinguere oportet ; unum, quod physice efficit actum, aliud, quod id facit cum determinatione sibi naturali et intrinseca ad unum, ratione cujus sibi subicit potentiam voluntatis, et illi non subicitur quoad usum vel exercitium. Primum horum pertinet ad proprietatem physicam verbi faciendi, quam nos verissime et proprissime tribuimus vocationi congruæ, quatenus includit, vel supponit, aut secum trahit principia gratiæ physice adjvantia voluntatem in sua determinatione. Secundum autem non pertinet ad physicam efficientiam, sed ad modum efficiendi intrinsecum tali auxilio, quem modum communicat illud auxilium quasi formaliter voluntati, ut in superioribus explicavi. Hic autem agendi modus non pertinet ad veritatem, vel proprietatem locutionum Scripturæ, cum sine illo modo omnis efficientia propria, tam moralis, quam physica, salvetur, ut explicavi. Imo talis modus agendi locutionibus ejusdem Scripturæ repugnat, tum in aliis locis, tum in his quæ tractamus, in quibus ita est physica efficientia admittenda, ut moralis non excludatur, ut iidem auctores fatentur ; posito autem illo modo efficiendi, omnis alia efficientia, scilicet moralis,

excluditur, quia non poterit habere effectum moralem liberæ actionis, ut a nobis ostensum est.

18. *Quomodo intelligenda hæc Pauli verba:* Quicumque Spiritu Dei aguntur, etc. — *Per verbum* aguntur significatur Spiritus Sancti motio. — Et juxta hæc facile intelliguntur verba Pauli: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*, quæ sine dubio non fuerunt ab ipso scripta propter physicam prædeterminationem, sed propter ductum et regimen Spiritus Sancti: nullus enim antiquorum Patrum illum locum aliter interpretatus est. Sed plures eorum simpliciter exponunt, agi Spiritu Dei, nihil aliud esse quam *vitam spiritualiter instituere*, ut ibi ait Theodoretus, vel *sancte et spiritualiter vivere*, ut ait Cyprianus, lib. de Zelo et livore, versus finem. Quia vero nemo spiritualiter vivit, nisi qui motionem Spiritus Sancti sequitur, ideo non solum dixit Paulus: Qui sancte vel secundum spiritum vivunt, sed: Qui aguntur *spiritu Dei*: *Hoc est* (ait Theophylact.) *gubernantur, reguntur, seu a gubernatore quopiam*. Iræneus autem, lib. 5, c. 10, ponit verbum *ducuntur* pro *aguntur*. Et idem habetur in versione quam interpretatur Chrysostomus, homil. 14, et ipse similiter exponit: *Ostendit quod sic vult illum* (utique spiritum) *vite nostre dominum esse, ut gubernatorem navigii, et aurigam, et infra: Quamvis baptisma acceperis, nisi Spiritu postea ducaris, vitam perdidisti*. Nihil ergo aliud per verbum *aguntur* significatur, nisi Spiritus Sancti motio et directio per divinas inspirationes et motiones, quas nos sequi oportet; et quando illas sequimur, dicimur agi a Spiritu Sancto, non quia ab illis prædeterminemur, sed quia ab illis vehementer inclinamur. Et eodem modo D. Thomas ibi verbum *agendi* per verbum *regendi* explicavit; addit vero positum esse ad indicandum *filios Dei peculiari modo Spiritus Sancti instinctu gubernari*. Et Cajetanus ibidem dixit illud verbum positum esse a Paulo, *ad insinuandam promptissimam obedientiam qua filii Dei Spiritus Sancti inspirationibus obsequi debent*. Unde etiam recte Adam verbum *agendi* per verbum *trahendi* declaravit.

19. Hoc autem non esse extra verbi *agendi* proprietatem et usum manifestum est. Nam idem Paulus ad Galat. 5 ait: *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege*, ubi in græco est idem verbum. Et similiter 1 Corinth. 12, ubi Paulus ad Christianos ex gentibus conversos ait: *Scitis quia cum gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes*, græce habetur: Prout agebamini, et ita legit Origen., lib. 7 in

ad Roman., in principio. Unde colligit quod *etiam gentes ad idola aguntur aliquo spiritu*, quem esse malum spiritum dubium non est, a quo tamen gentes non physice prædeterminabantur, sed inducebantur. Et quando homo aliqua passione ducitur, ab illa agi dicitur. Unde Lactantius, lib. 6, cap. 19: *Tres, inquit, sunt affectus qui homines in omnia facinora præcipites agunt, ira, cupiditas, libido*, quæ certe ad consensum voluntatem non physice prædeterminant, sed per quamdam sympathiam movent et attrahunt moraliter. Et ad hominem probare possumus non loqui Paulum de physica prædeterminatione; alioqui quoties voluntas nostra consentit, juxta illorum Theologorum sententiam, dicenda esset spiritu divino agi, quia ab illo prædeterminatur physice. Quomodo ergo verum est omnes qui spiritu Dei aguntur esse filios Dei? Nam omnes qui per voluntatem suam agunt, saltem quatenus agunt, aguntur spiritu Dei; ergo etiam qui aguntur, cum fornicari vel furari volunt, erunt filii Dei. Si ergo hoc non potest audiri, etiam in eorum sententia dici non potest homines dici agi a Spiritu Sancto, quia physice prædeterminantur ab illo; aguntur ergo moraliter, quia moventur et inclinantur.

20. *Verbum* aguntur *qua ratione exponat Augustinus*. — Neque aliud sensit Augustinus etiam in illo loco qui ponderatur; non enim sine causa addidit particulam *illam via*, ut in citato prolegomeno animadverti, ubi alia etiam loca Augustini adjunxi. Quibus addi potest optimus Augustini locus in Enchirid., cap. 64, ubi de justis sic inquit: *Quamvis de illis sit veraciter dictum: Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei, sic tamen spiritu Dei excitantur, et tanquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo quibusdam motibus humanis deficiant*. Ubi aperte verbum *aguntur* exponit per verbum *excitantur*, de quo manifestum est prædeterminationem non includere neque indicare. In sermone vero 43 de Verbis Domin., cap. 7, de adjutorio Spiritus illa verba exponit, dicens: *Agis si ageris, et bene agis si a bono ageris*; et infra: *Si spiritu Dei aguntur, pugnant, quia magnum habent adjutorem*. Itaque ex illo loco ad summum habemus necessitatem gratiæ excitantis et adjutantis, etiam ex sententia Augustini; quia vero hæc est prima causa nostrarum piarum actionum, et quia potenter nos inclinatur, et inclinabiliter gubernatur, quando vult, ideo dixit Augustinus hoc regimen Spiritus Sancti per verbum *agendi* significari, quasi nos *via* ali-

quid agamus. Quia vero non ita agimur quin moraliter agamus, ideo non prædeterminamur, nec in eo modo agimur, ut ipsum *agi* a libertate et actione nostra non pendeat. Unde Theophyl. ibi recte dixit: *Agere a spiritu necessarium nobis esse per omnem vitam, id vero a nobis tanquam nostrum exigi*, quia in manu nostra est agi et non agi quoad consentiendi effectum, etiam postquam excitati sumus.

21. *Admonitio ad studiosum veritatis indagatorem*. — Quod ergo ad hunc locum argumentandi ex Scripturis pertinet, solum superest studiosum lectorem ac veritatis diligentem indagatorem admonere, ut testimonia Scripturæ pro utraque sententia adducta simul consideret et inter se conferat; nam ex dictis ad minimum colliget ex vi Scripturæ prædeterminationem physicam non esse necessariam, ac proinde hinc sumi saltem argumentum negativum ex Scriptura, nimirum, talem physicam prædeterminationem non habere in Scriptura fundamentum. Quod argumentum est in hac materia magni momenti, ut in superioribus dixi; tum quia Patres et Concilia in hac materia non docent, nisi quæ ex Scripturis confirmari possunt, ut in Augustino in libris omnibus contra Pelagianos maxime observari potest; tum etiam quia res adeo difficilis intellectu, ut vix possit mente concipi, nedum ratione suaderi, cum per traditionem non habeatur, si in Scripturis non invenitur revelata, non habet unde fide digna fieri possit. Ex prioribus vero testimoniis videtur ulterius probabilissime, imo efficaciter ostendi, ea quæ de aliis dogmatibus liberi arbitrii et sufficientis auxilii Scriptura docet, non posse cum illo dogmate de physica prædeterminatione conciliari. Unde cum utraque sententia illationibus ex Scriptura nitatur, quæ contra nos propositæ sunt ita solvuntur, ut non solum quiescat intellectus, verum etiam directe vincatur non recte tales illationes aut inductiones fieri. At vero quæ a nobis in contrarium objectæ sunt, non solum non improbantur, verum etiam nec aliquid ad eas respondetur, quod intellectui satisficiat.

CAPUT XXXIII.

EX CAPITE QUINTO ET CANONE QUARTO SESSIONIS 6 CONCILII TRIDENTINI, VERITAS CONFIRMATUR, ET QUÆDAM EVASIO REFELLITUR.

1. *Scopus et partes capituli*. — Quamvis ante hoc Concilium alia nonnulla doctrinam de gratia nobis tradiderint, quia ex generalibus et ap-

probatis hoc solum fuse materiam hanc declaravit ac definivit, ac fere in summam redegit quæ Pontifices et antiquiora Concilia tradiderunt, ideo post Scripturæ testimonia, hujus Concilii auctoritatem expendendam proponimus. De quo duo quæ de Scriptura diximus ostendere conabimur. Unum est, Concilium Tridentinum pro nobis stare, quia multa quæ docet non videntur cum efficacia auxilii ex se prædeterminantis componi; aliud est, nihil esse in hoc Concilio quod efficacitati vocationis congruæ aliqua ex parte repugnare videatur.

2. *Probat prior pars*. — Priorem partem præcipue probamus ex sess. 6, cap. 5, in prioribus ejus verbis, quæ talia sunt: *Declarat præterea, scilicet, sancta Synodus, ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui ger peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponantur; ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate posset*. Quibus verbis respondet can. 4, cujus hæc sunt verba: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit*.

3. *Colligitur argumentum*. — Ex his igitur verbis hoc argumentum colligimus: Concilium docet vocationem illam quam homo recipere potest, si velit, quamque interdum recipit, talem esse ut possit illi resistere, si velit; ergo talis vocatio, licet efficax sit, non prædeterminat physicam voluntatem. Vel aliter: docet Concilium potestatem illam resistendi, aut dissentendi esse necessariam, ut homo libere operetur; ergo docet vocationem efficacem semper debere esse talem ut, licet habeat effectum, possit homo illi resistere, si velit; ergo docet vocationem efficacem non esse prædeterminantem, nam auxilio prædeterminanti physice nemo resistere potest, quia de ratione illius est ut, determinando ad unum, tollat potestatem agendi oppositum, vel non agendi illud